

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2046

Auteur(s) : Honorius III [pape]

Bénéficiaire(s) : Évreux, Saint-Taurin (abbaye, abbé)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1216, 24 avril

Lieu d'émission : Latran

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Honoré III confirme les donations faites à l'abbaye de Saint-Taurin, par Richard Ier, duc de Normandie, entre autres dans l'Évrecin, le patronage des églises de Saint-Aquilin d'Évreux, de Saint-Jean d'Elbeuf, de Caudebec, de Louviers et de Pinterville, avec les droits de pêche dans la Seine, dans l'Eure et aux moulins de Louviers, et aussi des droits d'usage dans la forêt de cette ville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1868, t. 2, p. 279 (extrait).
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1869, t. 3, p. 136 (extrait).
- c. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXXXI, p. 170-173.

Texte établi d'après c

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Taurini Ebroicensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et monasterium Sancti Taurini, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidetis atque in futurum justis modis, presente Domino, poteritis adipisci, sub beatri Petri et nostra protectione suscipimus : Specialiter autem decimam tholonei civitatis Ebroicensis, vicecomitatus et hospites in eadem villa cum libertate et burgum monasterio vestro propinquum, terram cum aqua : In silva Ebroicensi ligna necessaria ad usus quoslibet monachorum et propriorum porcorum pasturam ; et ibi prope villam que dicitur Patervilla et dimidiam terram Isnelmaisnil et medietatem proventuum, cum jure patronatus ecclesie Sancti Aquilini.

In pago Ebroicensi, de Wellebue et de Caudebec et de Loviers et de Pintarvilla ecclesias, cum decimis pertinentibus ad easdem et hospitibus multis vestro monasterio servientibus. In Secana tractum unum et in Actura duos, piscationes molendinorum de Loviers et .xla. solidos in molendinis Rodolii. In nemore quoque de Loviers ligna ad omnes usus monachi ibidem morantis, nec non et ad proprios porcos pasturam, libertatem etiam in curia vestra hominibus vestris monasterio vestro a clare memorie Ricardo, duce Normannie, quantam ipse in suis hominibus in curia sua habebat concessam.

In pago quoque Constantini, Pierers et Milleriers et Waudrimesnil, et que ad illas pertinent ab eodem duce pia vobis libertate donata.

In Lisvino, terram apud Martinvillam et apud Ulmeiam et apud Molas, unde plurimorum vavassorum servitium redditur monachis et liberas consuetudines quas idem dux per totam terram suam monasterio vestro concessit.

In festivitate quoque Sancti Taurini nundinas totius civitatis Ebroicensis et omnes consuetudines illius diei. Ex dono quoque Willelmi de Pacey, terram de Kesigne. In Pintarvilla terram quam habuit Hugo filius Hubaldi de Pacey, et quam Hugo Burse ac Theobaldus presbiter habuerunt. Ecclesiam quoque ejusdem ville, cum omnibus pertinentibus ad eandem, nec non terram ex utraque parte ipsius ecclesie .xxxxta. duas perticas continentem, et tantum idem alterius terre quantum possunt arare quatuor boves in anno, et etiam silvam ipsius ville cum decima ad prefatam ecclesiam pertinente, ac terram quam in eadem silva habuit quondam Rogerius Gesmel ; terram etiam sitam juxta ecclesiam ; terram que Siconia dicitur et ecclesiam positam in eadem, et pasturam propriorum porcorum monachi apud eandem ecclesiam residentis. De Avrioleio, de Guarel, de Plesseis, de Gorsam et de Bachoers decimas ; ecclesiam de Cisse cum decima loci ejusdem ; quinque acras terre cum duobus hospitibus, et decimas molendini quod dicitur Mareschal apud Ebroas ; decimam Grandis Silve et ejusdem loci ecclesiam et sex acras terre in eadem villa cum terra ad hospitandum. Ecclesiam de Berou cum decima, et Sancte Trinitatis ecclesiam cum terra ad duos boves ; decimam del Mesnillo, et ecclesiam Sancti Martini cum decima, nec non decimam de Petroca, nec non de Sacey et de Mulcenc. Item, de Buivilla et de terra Veterum Ebroicarum decimas ; et item terre quondam Astonis de Sancto Albino et terre que vocatur Chortins decimas. Ecclesiam de Nemore Gencelini cum decima et quatuordecim acras terre et pascua pecudum monachorum intra et extra silvam loci ejusdem ; decimam molendinorum de Normanvilla, ac unum modium frumenti annuum ac alterum brasi, ex dono Rogerii de Bellomonte. Item, molendini de Bellomontel et ejus quod est subter civitatem Ebroicensem, necnon illius quod est sub muro civitatis ejusdem, et illius quod est apud Sanctum Germanum ; necnon molendinorum de Glisolles et ville de Tille et ville que dicitur le Pleseit Herberti decimas. In villa que dicitur Bois Mahaiar terram ad unum aratrum et .vj. acras terre apud Isnelmesnil, partem silve in territorio Sancti Germani. Ecclesiam Sancti Laurentii, ville que dicitur Campania cum omnibus que ad eam pertinent, et in circuitu ecclesie ex omni parte viginti perticas terre ad hospitandos homines. Et terram ad excolendam cum octo bobus, et de silva ejusdem loci quantum necesse est ad usus monachorum, et in ipsa silva pasnagium propriorum porcorum et hominum ecclesie ejusdem. Item, ibidem quinque jugera prati, et culturam que dicitur cultura Hersendis. Et terram ad unum bovem. Capellam sitam intra castellum Histiers, furnos quoque totius ville ac castelli et integram decimam omnium tam bladi quam molendinorum et piscium stanni. Nec non et terram convenientem ad habitandum et laborandum ; tholonei quoque ac transitus decimam, et etiam decimam de Croisie cum ejusdem loci ecclesiam. Apud Pacey, ecclesiam Sancti Anthonini cum pertinentiis suis ; decimam etiam terre quondam Rogeri pincerne de Normanvilla et medietatem decime de Wadrevilla ; apud Maheruel, decimam terre quondam Willelmi Sancti Germani ; terram de Jaeriez, et ibidem centum acras terre cum integra decima ville.

In Anglia, villam que dicitur Heseleia, cum omnibus pertinentibus ad eandem. Apud Goherium ecclesiam Sancti Kenedi, et terram ad duo aratra et decimam ejusdem ville ; Languene et locum aptum ad molendinum et necessarium usum ad omnia in silva loci ejusdem. Necnon et decimas omnium reddituum comitis de Warvic et de omni dominio suo. De Chaum quoque et de Pennart. Necnon de Insula ecclesias cum decimis pertinentibus ad easdem.

Apud Longam Villam consuetudines totius terre ac vinearum quondam Gaufridi prepositi et Hermengardis ac terram quondam Augerii, duas acras terre in Warena et decimam culture quondam Petri domini sui. In bosco et Walle Grismoldi et in Cantapica et apud Sanctum Remigium decimas. Totam hereditatem quondam Herberti monachi monasterii vestri ; bisduales nundinas que fiunt in secunda dominica post Penthecostem et in die lune sequenti in civitate Ebroicensi ; quinque etiam molendinorum in parrochia Sancti Germani et molendini de l'isle de Caitivel ; decimas et aquam Sancti Germani, et omnem piscationem et nansas ejusdem aque ; decimam de Angervilla et medietatem ville que dicitur Buisson Amauri ; ex dono Radulphi Ebroicensis, duos homines cum domibus suis et decem solidos annuatim ; de Theleil, et molendini de Belmontel, del Mesnil Hoton, de Mahueruel, de Bosco Gencelini, et molendini de Grochet decimas, et medietatem aque ac ville illius que dicitur Berengervilla. Apud Sanctum Germanum etiam tres acras terre et ecclesiam de Milleriis sicut omnia ea juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Data Laterani, octavo kl. maii, pontificatus nostri anno primo.